



St Nicholas News

Un canale di comunicazione per tenersi in contatto con amici di San Nicola di tutto il mondo

n.16

di Padre Gerardo Cioffari, o.p. direttore del

08/ MAGGIO /2011

CENTRO STUDI NICOLAIANI Bari (Italia)

LA SANTA MESSA IN LATINO DELLA TRASLAZIONE DI SAN NICOLA

Die 9 Maji

IN TRANSLATIONE
SANCTI NICOLAI EP. ET CONF.

Introitus

Gaudeamus omnes in Dómino, diem festum celebrantes sub honóre beati Nicolái: de cujus translatione gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei, allelúja, allelúja. **Cant. Is. 12, 5** Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit: annuntiáte hoc in univérsa terra. **Ÿ.** Glória Patri.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui beátum Nicoláum Pontificem tuum de Myra Bárium transférri pia dispositióne fecisti; ejus suffrágio præmiémur in cælis, cujus corpus venerámur in terris. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 50, 6-22

Ecce Conféssor magnus, qui quasi stella matutina in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic iste effúlsit in templo Dei. Quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus rédolens in diebus æstátis. Quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólídum, ornátum omni lápide pretiósio. Quasi oliva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriæ. In ascénsu altáris sancti, glóriam dedit sancti-

tátis amictum. Et circa illum coróna fratrum, quasi plantátio cedri in monte Líbano. Manus suas éxtulit in omnem congregatiónem filiórum Israël dare glóriam Deo a lábhis suis, et in nómine ipsius gioriári.

Allelúja, allelúja. Qui fulsísti miráculis, vivens præsénti sæculo, nunc quoque in periculis ades devóto pópulo. Allelúja, allelúja.

Tempore Paschali ante Ascensionem Ÿ. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo, et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja.

Tempore Ascensionis Ÿ. Allelúja, allelúja. Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja.

Tempore Pentecostes Ÿ. Allelúja, allelúja. **(Hic genuflectitur).** Veni, Sancte Spiritus, reple tuórum corda fidélium, et tui amóris in eis ignem accénde, allelúja.

Sequentia

Urbis olim sol Myrénsis,
Nunc thesáurus Bariénsis,
Ave flos Antístitum.
Admiránda vitæ forma,
Animáta morum norma,
Salve, decus Præsulum.
Carnis tuæ munditiis
Angelórum delítiis
Te miror comparátum.

Ab óssium fragrántia,
A fontis redundántia
Hoc miror confirmátum.

Cum absénti faves reo,
De calúmniæ trophæo
Innocéntes éripis.

Puerórum úbi tritam
Carnem révocas ad vitam,
Mortis regna diripis.

Olim auri liberális,
Nunc liquóris sepulcrális,
Sacra spargis múnera.

Age, Pastor immortalis,
Angelórum commensális,
Liberátos vitæ malis
Duc ad cæli glóriam. Amen.



Sequéntia sancti Evangélii se-
cúndum Marcum.

Marc. 13, 33-37

In illo témpore: Dixit Jesus disci-
pulis suis: Vidéte, vigiláte, et
oráte: nescítis enim, quando tempus
sit. Sicut homo, qui pégre proféc-
tus, reliquit domum suam, et dedit
servis suis potestátem cújúsque
óperis, et janitóri præcépit ut vígilet.
Vigiláte ergo (nescítis enim, quando
dóminus domus véniat: sero, an
média nocte, an galli cantu, an mane),
ne cum vénerit repénte, invéniat
vos dormiéntes. Quod autem vobis
dico, ómnibus dico: Vigiláte.

Credo.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea,
et misericórdia mea cum ipso: et in
nómine meo exaltábitur cornu ejus.
Allelúia.

Secreta

Sacrificia, quæsumus, Dómine,
quæ in beáti Nicolái transla-
tióné tibi offérimus, et a peccátis

nos éxpient, et ad ipsa suménda
præpárent. Per Dóminum.

Præfatio propria, ut in prima Missa.

Communio Matt. 24, 46-47 Beátus
servus, quem cum vénerit dóminus,
invénit vigilántem: amen dico vo-
bis, super ómnia bona sua consti-
tuet eum. Allelúja.

Postcommunio

Sumpta Sacraménta, quæsumus,
Dómine, illius consórtio nos
gaudéntes efficiant; cújus íntegrum
corpus sédula nos consolatióne læ-
tificat. Per Dóminum.

Die 31 Maji

In Festo Patrocínii
S. Nicolai Ep. et Conf.

Missa Státuit de Comuni Confesso-
ris Pontificis.

Oratio

Deus, qui beátum Nicoláum Pon-
tificem ad nostram protecti-
onem et custódiám de Myra Bárium
transférrí pia dispositi-
oné fecísti: præsta, quæsumus; ut quem protec-
tórem venerámur in terris, ejúsdem
consórtium mereámur in cælis. Per
Dóminum.

Secreta

Sanctifica, quæsumus, Dómine,
hæc múnera, quæ in solemnitáte
Patrocínii Sancti Nicolái offérimus,
ut per ea vita nostra inter advérsa,
et próspéra dirigátur. Per Dóminum.

Præfatio propria, ut in prima Missa.

Postcommunio

Sacrificia, quæ sumpsimus, Dó-
mine, Beáto Nicoláo Pontifice,
cújus patrocínii solemnitátem recó-
limus, interveniénté, sempitérna nos
protecti-
oné tueántur. Per Dóminum.

**Saluti da Bari
a tutti gli amici di San Nicola
Ortodossi Protestanti e Cattolici**